

A vim vrendi & exiccandi. Licet enim Plinius cineris vsum Transpadanis adeo placere scribat, vt illum fimo iumentorum antepont: haud tamen inde sequitur, non esse cinerem communiter noxium fertilitati. Nec ipsi Transpadani cinerem arbutis adhibebant, aut quibuslibet frugibus. Proponitur ergo in pruina irae Dei consideratio, quomodo verbi illius virtute ac velocissimo cursu modico temporis spacio frugum proventus vel tollatur, vel certe plurimum atteratur.

Et illud quoque obiter est annotandum, quod dicit: *Proiecit glaciem suam: item, Ante frigus eius: & Reducit spiritum suum.* Vocat glaciem, *Dei glaciem: frigus, Dei frigus: spiritum, Dei spiritum.* Sic pij homines religiosè de operibus & creaturis Dei & sentiunt & loquuntur: id quod non solum pij habet animi indicium, sed & plurimum ad hoc conducit, vt in creaturis Dei & vfu illarum pie & religiosè versetur.

Qui annunciat verbum suum *Iacob.* Sunt quaedam hic obseruanda. Primum, *verbum:* id est, voluntatem ac mentem Dei non patere mortalibus, nisi ab ipso Deo annuncietur & manifestetur. *Qui annunciat,* inquit, *verbum suum.* Item, *Et iudicia sua non manifestauit eis.* Humana ratio in tenebris versatur, nec lucem Dei videt, nisi caelitus illuminetur.

Deinde, verbum Dei manifestari bifariam. Primum communiter toti Orbi, de quo versibus precedentibus, 15. 16. 17. & 18. vide Rom. 1. postea specialiter populo fidelium, Israelitis, quos hic *Iacobum* vocat, & *Israelem.* Illis per Mosen voluntatem suam & promissiones gratiae, sicut & per Prophetas peculiariter manifestauit. Hanc peculiarem gratiam commendat, dicens: *Non fecit taliter omni nationi, &c.* Nos Christiani cogitemus hoc loco: Si tanti facit hanc legalis verbi Dei gratiam credentibus, missa in Orbem Euangelij praedicatione & Spiritus sancti efficacia, postremis temporibus vniuerso mortalium generi innotuit? Cogitemus, inquam, quam sit stupenda consiliorum Dei ratio. Legale verbum, literam & ministerium mortis, sicut Apostolus loquitur, vnde ira nascitur (nam lex iram operatur) non proposuit toti Orbi, sed vni duntaxat Iudaeorum genti, nationi praeuac peruersissimae: Euangelium verò, verbum gratiae & salutis non vni & alteri genti, sed Mundo vniuerso annunciari voluit. Si, quod minus est, suam attulit Iudaeorum genti honoris ac dignitatis praerogatiuam quanto magis id quod maius est ac praeclearius, Orbi vniuerso inmensam caelestis gratiae gloriam, & causam amplissimam diuinæ bonitatis praedicandae attulit? Quod si ministratio mortis, inquit *Apostolus,* literis in lapidibus insculpta, fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quae euacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Nam si ministerium condemnationis in gloria est, multo magis abundat ministerium iustitiae in gloria, &c. Magnae gratiae Dei loco ducendum est, si verbum diuinæ voluntatis hominibus annuncietur. Nam etiam si plerisque ex illius manifestatione non solum nulla prouenit utilitas, sed & condemnationis cumulus accedit: fit tamen illud non verbi diuini, sed ipsarum malitiae & obstinationis culpa. Et si lex peccatum prodit & auget, atque ita litera irae ac mortis vocatur: facit tamen hoc non consilio damnandi hominis, sed saluandi. Ideo subiicitur Euangelij veluti remedium, quo malum corruptionis nostrae curetur, modo fideli & salutis cupido corde acceptetur.

OBSER.
Verf. 19. &
20.

PSALMVS CXLVIII.

ARGVMENTVM PSALMI.

Prouocantur hoc Psalmo ad laudem Dei generaliter omnes creaturarum Dei ordines, caelestes spiritus, angeli, sol, luna, stella, caeli, aqua supra caelos existentes, dracones, abyssi, ignis, grando, nix, nebula, ventus, montes, colles, arbores frugiferae, cedri, bestiae, iumenta, reptilia, volucres, reges, populi, principes, iudices, iuuenes, virgines, senes, adolescentes, &c.

Halleluiah.



AVDATE Dominum de caelis, laudate eum in excelsis.

VERS. I.

2. Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes exercitus eius.

3. Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stelle lucide.

4. Laudate eum caeli caelorum, & aquae quae sunt supra caelos.

5. Laudent nomen Domini, quoniam ipse mandauit, & creata sunt.

6. Constituit ea, vt durent vsq; & in seculum: statutum dedit, nec praeteritur.

7. Laudate Dominum de terra, dracones & omnes abyssi.

8. Ignis & grando, nix & vapor, ventus procellosus faciens verbum eius.

9. Montes & omnes colles, lignum fructiferum & omnes cedri.

10. Ferae & omnia iumenta, reptilia & volucres pennatae.

11. Reges terra, & omnes nationes, principes & omnes iudices terra.

12. Iuuenes & virgines quoque, senes cum pueris.

13. Laudent nomen Domini, quia excelsum est nomen eius solum, gloria eius super terram & caelum.

14. Et exaltauit cornu populi sui, laus omnibus qui beneficentiae eius participes sunt, filiis Israel populo ipsi appropinquanti. Halleluiah.

XX 3

Laudate